



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitruvius Itervm Et Frontinus

Vitruvius

Florentiae, 1513

De porticibus post scena[m] & ambulatio[n]ibus. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12979

LIBER

guitur incerta uerborum significatione, Resonantes uero, in quibus cum in solido tactu percussa resiliat imagines exprimendo, nouissimos casus duplices faciunt auditu, Item consonantes sunt, in quibus ab imis auxiliata cum incremento scandens, ingreditur ad aures discreta uerborum claritate, Ita si in locorum electione fuerit diligens animaduersione, emendatus erit prudentia ad utilitatē in theatris uocis effectus, Formarum autem descriptiones inter se discriminibus his erunt notatae, uti quae ex quadratis designantur, graecorum, quae ex paribus trigonorum lateribus, latinorum habeant usus, Ita his praescriptionibus quae uoluerit uti, emendatas efficiet theatrorum perfectiones.

De porticibus post scenam & ambulationibus.

Caput. IX.


Post scenam porticus sunt constituenda, uti cum hymbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus, quo se recipiat ex theatro, Coragiaque laxamentum habeant ad chororum parandum, uti sunt porticus Pompeiana, itemque Athenis porticus eumenica, patrisque liberi phanū, Et exeuntibus è theatro sinistra parte Odeum quod Athenis Pericles columnis lapideis disposuit, nauis umque malis & antennis è spoliis persicis pertexit, Idem autem est in censum Mithridatico bello Rex Ariobarzanes restituit, Zmyrnae strategum. Trallibus porticus ex utraque parte (ut scenae) supra stadium, ceterisque ciuitatibus, quae diligentiores habuerunt architectos. Circa theatra sunt porticus, & ambulationes, quae uidentur ita oportere collocari, uti duplices sint, haecque exteriores

exteriore columnas doricis cum epistylis, & ornamentis ex ratione modulationis doricæ perfectas. Latitudines autem earum ita oportere fieri videtur, uti quanta altitudine columnæ fuerint exteriores, tam latitudinem habeant ab inferiore parte columnarum extremarum ad medias, & à medianis ad parietes, qui circumcludunt porticus ambulationes. Medianæ autem columnæ quæ parte altiores sint, quæ exteriores, sed aut Ionico aut corinthio genere decorantur. Columnarum autem proportionum, & symmetria non erunt iisdem rationibus, quibus in ædibus sacris scripsi. Aliam enim in deorum templis debet habere gravitatem, aliam in portibus, & cæteris operibus subtilitatem. Itaque si doricæ generis erunt columnæ, dimetiantur earum altitudines cum capitulis, in partes quindecim, & ex eis partibus una constituantur, & fiat modulus, ad cuius moduli rationem omnis operis erit explicatio, & in imo columnæ crassitudo fiat duorum modulorum. Inter columnium quinque & moduli dimidia parte. Altitudo columnæ præter capitulum quatuordecim modulorum. Capituli altitudo moduli unius, latitudo modulorum duorum, & moduli sextæ partem. Cæteri operis modulationes, uti in ædibus sacris in libro quarto scriptum est, ita perficiantur. Sin autem ionicæ columnæ fuerint, scapus præter spiram, & capitulum in octo partes, & dimidia dividatur, & ex his una crassitudini columnæ detur. Spira cum plinthis dimidia crassitudine constituantur. Capituli ratio ita fiat, uti in tertio libro est demonstratum. Si corinthia erint, scapus & spira, uti in ionica, Capitulum autem

LIBER

quemadmodum in quarto libro est scriptum, ita habeat rationem, Stylobatisq; adiectio, quæ fit per sex millos impares, ex descriptione, quæ supra scripta est in libro tertio, sumatur, Epistylia, æronæ, cæteraq; omnia, ad columnarum rationem ex scriptis uoluminum superiorum explicentur.

a. xystus
ubi athletæ
exercerentur
b. porticus
duplices
ubi populus
seruabat ex
theatro.
c. uiridia
& hypætra
ambulationes



Media uero spatia, quæ erunt sub diuo inter porti-
 cus adornanda uiridibus uidentur, quæ hypæthrae am-
 bulationes habent magnam salubritatem, Et primis
 oculorum, quæ ex uiridibus, subtilis & extenuatus aer
 propter motionem corporis influens perlimat spem,
 & ita auferens ex oculis humorem crassum, aciem te-
 nuem & acutam speciem relinquit, Præterea cum cor-
 pus motionibus in ambulatione calescat, humores ex
 mēbris aer exugendo imminuit plenitates, extenuatque
 dissipando, quod plus inest, quàm corpus potest sustinere.
 Hoc autem ita esse ex eo licet animaduertere, quæ sub
 tectis cum sint aquarum fontes, aut etiam sub terra pa-
 lustris abundantia, ex his nullus surgit humor ne-
 bulosus, sed in apertis hypæthrisque locis, cum sol oriens
 uapore tangit mundum, ex humidis & abundantibus
 excitat humores, & etiam conglobatos in altitudinē
 tollit, Ergo si ita uidentur, uti in hypæthris locis ab æ-
 re humores ex corpibus exugantur molestiores, quæ
 admodum ex terra per nebulas uidentur, non puto
 dubium esse, quin amplissimas & ornatissimas sub
 diuo hypæthrisque collocari oporteat in ciuitatibus am-
 bulationes, Eæ autem uti sint semper sicca & non luto-
 sa, sic erit faciendum. Fodiantur & exinaniantur quæ
 altissime, & dextra, atque sinistra structiles cloacæ fe-
 ant, inque earum parietibus qui ad ambulationē spe-
 ctauerint, tubuli instruantur inclinati fastigio in cloa-
 cis, His perfectis cōpleantur ea loca carbonibus, dein-
 de insuper sabulone eæ ambulationes sternantur, &
 exequentur, ita propter carbonum naturalem rarita-
 tem, & tubulorum in cloacis instructionem, excipie-

LIBER

tur aquarum abundantia, & ita sicca, & sine humore perfecta fuerint ambulationes, Præterea in his operibus thesauri sunt ciuitatibus in necessariis rebus à maioribus cõstituti, In cõclusionibus enim reliqui omnes faciliores sunt apparatus q̄ lignorum, Sal enim facile ante importatur, frumenta publica priuatimq; expeditius cõgeruntur, & si desint holerebus, carne, seu leguminibus defenditur, Aquæ fossuris puteorum, & de cœlo repentinis tempestatibus ex tegulis excipiuntur. De lignatione quæ maxime necessario est ad cibum excoquendum, difficilis & molesta est apparatus, q̄ & tarde cõportatur, & plus cõsumitur, In eiusmodi temporibus, tunc eæ ambulationes aperiuntur, & mensuræ tributim singulis capitibus designantur, ita duas res egregias hypathræ ambulationes præstant, unam in pace salubritatis, alteram in bello salutis, Ergo his rōnibus ambulationum explicationes nō solum post scenam theatri, sed etiam omnium deorum templis effectæ, magnas ciuitatibus præstare poterunt utilitates, Quoniam hæc à nobis satis uidetur esse exposita, nunc in sequentibus balnearum dispositionum demonstrationes.

De balnearum dispositionibus & partibus.

Caput.

X.

Rimum eligendus locus est q̄ calidissimus, id est, auersus à septentriōe, & aquilone. Ipsa autem caldaria tepidariaq; lumē habeant ab occidēte hyberno, Sin autem natura loci impedierit, utiq; à meridie q̄ maxime tempus lauandi à meridiano ad uesperum est cõstitutum, & iem est.